



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 5. De Reo, advocato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

SECTIO V.

De Reo, & Advocato.

936. Suppono 1. ex dictis num. 336. non posse reum sine iniustitia manifestare crimen occultum accusatoris, quando ea manifestatio inutilis foret ad sui defensionem; posse tamen, si utilis esset. Ratio est, quia quisquis potest se ipsum tueri cum iusto moderamine eorum armorum genere, quo oppugnatur, nec alter potest iuste quæri de injuria, cum sit invalor, & spontè huic periculo se opponat, hoc ipso, quòd testatur, vel accusat: circa quæ plura diximus ab eo num. citato: à reo exigere solet Judex juramentum de calumnia, quod juxta gloss. in cap. 1. de jurament. calum. hæc omnia comprehendit. Primò jurare, se bonam causam tueri. Secundò se interrogatum à Judice veritatem non celaturum. Tertio falsas probationes se scienter non adhibiturum, neque litem fraudulenter prorogaturum. Quarto se nihil promississe, vel deinceps promissurum alicui causâ litis; nisi quod jura permittunt. Sed non oportet hæc omnia semper jurari, maxime quando exiguntur à reo in criminalibus, propter evidentem occasionem perjurii.

937. Suppono 2. Judicem legitime interrogare reum, quando interrogat servato ordine juris; quòd si non interrogat ordine juris servato, non interrogat juridicè, nec reus tunc tenetur crimè fateri, ut colligitur ex cap. *qualiter, & quando, & cap. cum oportet, & cap. inquisitioni, de accus.* estque communis sententia, quam plures extendunt ad casum, in quo reus dubitat, an Judex juridicè interroget? tunc autem non interrogat juridicè, quando de crimine occulto interrogat, de quo non est fama contra reum, neque juridica competentia, neque probatio semiplena; nam quando delictum est ita occultum, vel incertum, ut ipse reus possit se probabiliter tueri, & depellere objecta, esset contra omnem rationem, & contra jus naturæ, ut ei imponeretur obligatio in foro conscientie ad illud in suam perniciem pandendum; & certè illud præceptum esset nimis durum, & minus consentaneum conditioni hominum, cum vel nemo, vel paucissimi illud essent servaturi. Præterea nemo spoliandus est armis, quibus videretur se, suaque tueri: unde Judex tenetur aperire reo statum causæ, probationes, judicia, & testes, ut videat juridicè contra se procedi, & ut possit expone-re, vel excipere, si aliquid contra habeat. Unde præcipua controversia præsens est, an si Judex juridicè procedat, idque reo satis constet, teneatur reus in foro conscientie ad manifestationem sui delicti?

938. Triplex est Doctorum sententia. Prima docet, neque tunc reum teneri suum crimen fateri, si inde pænâ temporali plectendus foret.

R. P. Gorman Theolog. Tom. II.

fecus verò, si pænâ spirituali, ut excommunicatione; ita Panormitanus, Sylvest. Angelus &c. Secunda sententia docet, tunc teneri reum veritatem fateri, etiam si capite plectendus esset. Ita plures Theologi, & Juristas cum Div. Thoma, quos sequitur Thom. Sanchez lib. 6. consil. cap. 3. dub. 29. Tertia sententia docet, teneri reum, quando non est puniendus pænâ capitali, vel treremium, aut alia simili; & non teneri fateri suum delictum, si pænâ capitali, vel treremium &c. puniendus foret. Ita plures Theologi, quos citat, & sequitur Lugo Tom. 2. de justit. & & jur. disp. 40. sect. 1.

939. Affero cum tertia: licet Judex juridicè interroget, si delictum tantum sit semiplenè probatum, & reus puniendus esset pænâ capitali, vel treremium, aut alia simili, non tenetur in conscientia fateri crimen suum. Probatur 1. Leges, & præcepta humana non obligant in hoc casu reum in conscientia ad faciendum suum crimen; ergo non tenetur illud fateri. Probatur aut. Leges, & humana præcepta non obligant cum periculo vitæ, aut alterius damni gravis, ut docet omnis Theologorum sententia in Tract. de leg. Talis namque obligatio ab humana lege positiva dimanans esset potius ad ruinam subditorum, quàm ad bonum communitatis; siquidem fragilitas humana non facile obtemperaret iis legibus, imò rarus esset, qui in his circumstantiis illis obediret; atqui istæ ipsæ sunt circumstantiæ assertionis nostræ; ergo &c.

940. Probatur 2. Ille, qui scit, se moriturum, si die Veneris carnes non edat, non tenetur abstinere à carnibus, & qui scit die Dominica se certò occidendum ab inimico, si exeat domo, & accedat ad Ecclesiam ad audiendum Sacrum, non tenetur ire ad Sacrum audiendum; quod idem est de millenis aliis, in quibus, ut omnes Theologi fatentur, non obligant præcepta Ecclesiastica. Sed hoc non ex alia ratione provenit, nisi quia leges, & præcepta humana non obligant cum tanto periculo vitæ, aut alterius damni; ergo neque obligatur reus à præcepto Judicis in casu nostræ assertionis ad veritatem dicendam.

941. Probatur 3. Nemo potest cogi ad testificandum contra sanguine junctum, ut patet ex L. 4. ff. de testib. atqui nemo est cuiquam magis sanguine junctus, quàm ipse sibi, nec potest esse majus damnum, quàm vitæ, aut alterius æqualis; ergo in casu, quo incurreret hoc damnum, non teneretur contra se fateri. Confirmatur 1. L. *nimis grave, ff. de testim.* dicitur, neminem teneri contra se exhibere id, per quod negotium sibi fiat; ergo &c. Confirmatur 2. Nimis durum est, ut reus cogatur Judici subministrare arma, quibus juguletur, cum aliàs spes sit evasionis; unde licet eo casu non possit ad Judicem respondere mentiendo, at per amphibologiam licitè potest Judici occultare veritatem, elu-

C 6

dendo

dendo interrogationem, ut tradit Cardinalis disp. 19. cap. 7. exponendo 26ram, & 28vam ex propositionibus damnatis ab Innocentio XI. ergo &c.

942. Affero 2. Si sententia re ipsa est iniqua, ut quando innititur falsa præsumptione, aut falsis probationibus, quamvis secundum ordinem juris sit lata, non obligat in conscientia, nisi id exigeret tunc bonum commune, quod bono privato prævaleat. Prob. 1. Quando sententia est contra istum finem, non obligat, licet obliget, quando ex illa promovetur finis justus legis; atqui licet promoveatur finis justus legis, quando bonum commune prævalet privato, non tamen promovetur finis justus legis, quando sententia est iniqua, ex eo, quod innitatur falsis præsumptionibus, aut falsis probationibus; ergo &c. Probatur min. Finis sententiæ, & legis est, ut cuique tribuatur, quod suum est, sed non tribuitur ex sententia innixa falsis præsumptionibus, aut falsis probationibus; ergo. Quamobrem ille, qui per talem sententiam privatus esset hæreditate, aut mulctatus pecuniâ, non tenetur in conscientia ad solutionem, nisi non parendo sententiæ majus malum, aut scandalum timeretur.

943. Probatur 2. Licet ille, cui domus applicata est ex tali iniqua sententia, si sciat sententiam falsò fundamentò niti, non possit eam retinere; quia res illa non est sua, sed alterius. At si res illa pertineret specialiter ad Republicam, Principemque supremum, cui reservata esset distributio, vel collatio, tunc ratione boni communis prævalentis possit ille, cui collata fuit, rem illam retinere, nec tunc diceretur retinere rem alterius, E. G. si quis esset privatus officio, vel beneficio per sententiam secundum probata, & allegata laram, & illud sibi à legitimo collatore esset collatum probabile est, te non teneri ad restitutionem, etiamsi scires, sententiam falsis probationibus niti, ut docet Innocentius in cap. *quia plerique de immunit. Ecclesiast.* Panormitanus in cap. 1. *de concess. præbend.* ubi glossa, & communiter Canonistæ, eò quòd Respublica, & Ecclesia eo casu privant reum absolutè beneficio, vel officio, & applicant ei, cui postea confertur; hoc enim facere possunt, cum ita sint bona communia, in quibus multò majorem habent potestatem, quàm in fortunis privatorum, & alia subest causa justa sic faciendi, ne jurisdictiones sint incertæ, quæ res multò majoris est momenti, quàm ut nemo sine culpa jure suo privetur; tum quia si constiterit de Rei innocentia, facile poterit ipsi alia ratione consuli, conferendo illi alterum beneficium, vel officium; imò quamdiu non constar, publicè fuisse innocentem, restitutio est impossibilis; nam beneficium non potest restitui, nisi per collatorem: collator autem nollit conferri, nisi illi, qui notus fuit publicè innocens, ad evitanda scandala in Re-

publica, & ne maneat injusta alterius jurisdictionis, in quibus bonum commune præponderat privato, quo modo certè non præponderat relatè ad bona fortunæ, unde licet in hoc casu ille, cui confertur beneficium, possit licitè illud, ejusque fructus percipere, non tamen possit, quando ageretur de bonis fortunæ. Sed hæc omnia continet assertio nostra, ut patet, ergo &c.

Affero 3. Reus damnatus ad mortis poenam non solum ante, sed etiam post condemnationem potest licitè fugere, etsi opus sit vincula rumpere, & carcerem perfringere. Probatur 1. Non potest reo præcipi cum obligatione in foro conscientiæ, ut cum tanto damno suo maneat in carcere; hoc enim præceptum esset nimis difficile, & superans humanam conditionem, ut constat ex dictis; ergo &c. Confirmatur ex Div. Thoma quæst. 68. art. 4. *Nemo potest condemnari ad aliquid faciendum, unde ei mors sequatur*; atqui si reus in casu, de quo agimus, maneret in carcere, aliquid ageret, unde ei mors sequatur; ergo &c.

Probatur 2. Ille, cui licitus est finis, licita sunt media, quæ jure naturæ non sunt prohibita; ergo cui esset licita fuga, licitum etiam esset ad eam se expeditum reddere, ejusque impedimentum remove, modo non illicito contra jus naturæ, sed non est jure naturæ illicitum vincula rumpere, & carcerem perfringere; ergo hoc non esset vim inferre potestati publicæ, quod esset contra jus naturæ: potestas enim publica non est in vinculis, & lapidibus, sed in Judice, & Ministris, quibus non licet vim inferre, quando condemnatio à Judice fuit lata; sed solum est exercere vim contra vincula, & muros: sicut si quis objiceretur leoni devorandus, possit se pro viribus contra eum tueri; ergo &c. Confirmatur 2. Reus non tenetur in hoc casu manere in carcere, sed ad Judicem attingere, ut vi majori detineatur; ideo enim contrahitur catenis, aliisque instrumentis, alioquin si vinculis stupeis constrictus esset, non possit ea licitè dirumpere; sed hoc dicere in casu nostro esset nimis durum, & incredibile; ergo &c.

Affero 4. Quando ex negligentia, vel imperitia Advocati, cliens causâ excidit, quod inde ipsi obvenit, tum etiam quando tueretur causam, quam advertit esse iniquam, debet restituere omnia damna, quæ parti obveniunt, & etiam quæ obveniunt clienti suo, si eum bona fide procedentem non admonuit de causæ injustitia. Probatur facile: quando ex negligentia, vel imperitia Advocati cliens justa causa cecidit, lædit jus illius; Advocatus enim ex officio suo, ac proinde ex pacto, vel quasi pacto justitiæ tenetur clienti suo pro conditione causæ diligentiam præstare, ut, si sit difficilis, vel magni momenti, tenetur magis laborare, quàm si sit facilis, vel parvi momenti.

momenti. Similiter ex officio tenetur esse instructus convenienti peritia, cum se gerat pro idoneo Advocato, & prout talis stipendia exigat. Unde si ex negligentia, vel imperitia sua cliens iustā causā excidat, reverā Advocatus est causa per se juris læsi clientis. Pariter quando adverit, causam clientis esse iniuriam, tenetur ex officio suo, ac proinde ex pacto, vel quasi pacto illum admonere, ne in processu lris majora detrimenta patiatur: quod si non faciat, manifestè lædit jus clientis: & consequenter in casu nostræ assertionis manet obnoxius restitutioni; ergo &c. Ex dictis

947. Fit 1. Damnatum ad penā carceris temporaria, non posse fugere, ut communis sententia tenet. Ratio est, quia hæc pœna non est ita gravis, quin reus, qui ob sua crimina iustè ad eam est damnatus, debeat eam spontè subire; sicut solvere multam pecuniariam, ire in exilium, servire ad tempus in hospitali, manere ad tempus conclusus intra monasterium, & similia. Fit 2. cum communi Doctorum: non posse nos juvare reum, effringendo exteriùs carceres, rumpendo vincula. Ratio est, quia solus reus ad id jus habet propter maximum incommodum, quod sibi imminet; hoc autem incommodum non imminet nobis, alioquin nihil posset esse iudicibus satis firmum, & tutum ad custodiam reorum: quod cederet in maximum Reipublicæ damnum.

948. Fit 3. Si Advocatus ita defendat clientem, cui intetur actio criminalis, ut accusator, non poterit convincere, & ideo damnatus maneat ad penam talionis, non teneri Advocatū ad restitutionem illius damni, ut bene docent contra Navarrum Covaruv. in L. si furiosus p. 2. §. num. 5. & Salonis quæst. 71. art. 3. controvers. 1. Ratio est, quia hoc damnum per accidens, & præter ipsius intentionem advenit accusatori, cujus causam Advocatus non tenebatur juvare. Idem dicendum est de reo, ex cujus negatione sequitur accusatori pœna. Fit 4. Non ita posse excusari Advocatum, si defendat causam dubiam, aut minùs probabilem, quam scit etiam reputari a iudicibus minùs probabilem. Ratio est, quia si ita ab ipso reputatur causa, quam defendit, causam defendit manifestè injustam, cum iudex teneatur judicare secundum sententiam magis probabilem, ut constat ex Innocentio XI citato num. 898.

949. Asero 5. Quando in extrema pauperis necessitate nemo alius putatur patrocinium illi præstaturus, quivis Advocatus tenetur ei succurrere etiam gratis. Ita communiter Doctores cum S. Thoma quæst. 71. art. 1. Probatur 1. Quisque tenetur extremè indigenti illud impendere, quo ipse instructus est, si ipse similiter non egerit: ut si pauper extremè indigeat cibo, tenetur succurrere, qui illum habet; qui autem non habet cibum, sed pecuniam, non tenetur, nisi in defectum alterius, ut si

R. P. Gormas Theolog. Tom. II.

aliter cibus obtineri non possit. Pariter si eger pecuniā, tenetur succurrere, qui habet pecuniam; si eger operā Medici, vel Chirurghi, tenetur ille gratis operam suam præstare, neque divites tenentur pro eo solvere, nisi fortè nolint ex sua malitia opitulari; tunc enim pecunia esset ei necessaria ad vitæ conservacionem: sed eadem est ratio de Advocato, cuius ope pauper extremè indiget; ergo &c.

950. Probatur 2. In casu pauperis extremè indigentis, charitas saltem obligat illum, cui immediatius convenit, opem ferre ex his, quæ habet, quibusque facere potest; atqui immediatius convenit Advocato opem ferre extremè indigenti; ergo &c. Minor, & consequenter; maj. verò est certa doctrina Patrum, & S. Thom. cum Gregorio Homil. 9. in Evang. sub finem, ubi ait: *habens intellectum, curet omnino, ne taceat, habens rerum affluentiam, a misericordia largitate non torpescat, habens artem, qua regitur, usum illius cum proximo partiatur, habens loquendi usum, apud divitem pro pauperibus intendat talentum, quippe ab unoquoque nostrum venturus Iudex exiget, quantum dedit.*

SECTIO VI.

Solvuntur Opposita.

951. **O**bjicies 1. contra primam assertionem: quando iudex iudicè interrogat, reus tenetur declarare veritatem; etenim inter partes potestativas iustitiæ est obedientia, qua tenetur quis parere majoribus, dum iusta præcipiunt; atqui quando est semiplena probatio contra reum, iudex interrogat iudicè, & præcipit, quod iustum est; ergo. Confirmatur 1. implicat contradictionem, quod iudex habeat jurisdictionem præcipiendi, & reus non habeat debitum parendi; nam hæc duo sunt essentialiter correlativa; ergo si iudex præcipit iustum, reus tenetur obedire. Confirmatur 2. ratione, quam Gonet magnè facit Tom. 3. in dissertat. de opin. probab. num. 885. his verbis: *si vera esset Tamburini sententia, nunquam liceret iudici reos ad confessionem criminis capitalis, quamvis semiplenè probati, torturis adigere, quia iniquum est, quemquam ad id cogere, quod præstare non tenetur; ergo reus tunc tenetur.*

952. **R.** dist. maj. reus tenetur declarare veritatem modo, quo à præcepto constringitur, conc. supra vim præcepti, quo constringitur, nego maj. & dist. min. præcipit, quod iustum est præcepto adstringente, & obligante sub culpa, nego, obligante sub pœna, conc. sub consequ. reus tenetur sub pœna, conc. sub culpa, nego consequentiam. Ratio est, quia, ut est notissimum apud Authores, sunt plures leges, & præcepta, quæ non obligant ad culpam, sed ad pœnam, inter quæ numeratur